

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0590

Giovedì 18.10.2012

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL 475° ANNIVERSARIO DELLA PRIMA DIOCESI DEL PERÚ, ATTUALE ARCIDIOCESI DI CUZCO, E DEL CONGRESSO EUCHARISTICO-MARIANO INTERNAZIONALE (CUZCO, 24-28 OTTOBRE 2012)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL 475° ANNIVERSARIO DELLA PRIMA DIOCESI DEL PERÚ, ATTUALE ARCIDIOCESI DI CUZCO, E DEL CONGRESSO EUCHARISTICO-MARIANO INTERNAZIONALE (CUZCO, 24-28 OTTOBRE 2012)

In data 25 agosto 2012, il Santo Padre Benedetto XVI ha nominato l'Em.mo Card. Raúl Eduardo Vela Chiriboga, Arcivescovo emerito di Quito, Suo Inviato Speciale alla celebrazione del 475° anniversario della prima diocesi del Perú e del Sudamerica, l'attuale arcidiocesi di Cuzco, in programma nei giorni 24-28 ottobre 2012. Nel contempo si terrà anche il Congresso Eucaristico - Mariano Internazionale.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre all'Em.mo Card. Raúl Eduardo Vela Chiriboga:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro

RADULFO EDUARDO S.R.E. Cardinali ***VELA CHIRIBOGA***

Archiepiscopo emerito Quitensi

Quadringentesimus septuagesimus quintus recolitur annus ex quo tempore Cuschensis prima Peruviae et Americae Meridianae dioecesis condita est. Ad illa profecto loca Evangelii nuntius quondam allatus est Dominique salutaria beneficia gentibus illis praeberi coepta sunt, sollertibus operantibus missionariis, qui, in homines studio incensi, Salvatoris iis praeberunt saluberrima verba. Sic ecclesiastica feliciter exstiterunt paulatim instituta, ad dilectorum inibi incolarum commoditatem destinata.

Eodem tempore ibidem Congressus Eucharisticus Marianus Internationalis celebratur, ut sacrosanctum Christi corpus convenienter adoretur et uberius obtineant fideles caelestia dona. Ex eucharistico enim sacramento,

salienti quasi e fonte spiritalis salubritas beneficiorumque Domini copia affatim manant ac defluunt. Ii autem qui ad caeleste convivium accedunt, supernis praesidiis roborantur, fere Deipara ipsa ductrice. "Ad hoc enim Sanctissimum Sacramentum Maria nos perducere potest, quandoquidem ipsi cum eo arta est necessitudo" (Litt. enc. *Ecclesia de Eucharistia*, 53).

Ipsa igitur divina suffragante gratia, diebus XXIV-XXVIII mensis Octobris Cuschensi in Ecclesia sollemnis erit illius Sedis institutionis commemoratio et Congressus Eucharistici Mariani Internationalis celebratio, ut ecclesialis haec communitas, inde fere sumens vim, uberiores fructus fundat ac laetiores dies pacis prosperitatisque communi de labore experiatur.

Quocirca Venerabilis Frater Ioannis Antonii Ugarte Pérez, Archiepiscopi Cuschensis postulatis libenter subvenientes, ut ritus ille elatius evolvatur et luculentius, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus et ipse idoneus occurris qui eventui illi intersis personamque inibi Nostram geras. Itaque permagna moti affectione, te, Venerabilis Frater Noster, **Missum extraordinarium Nostrum** renuntiamus et constituimus ad celebrationem quam supra diximus agendam.

Universis igitur participibus fidelibusque inibi cunctis voluntatem Nostram benignam ostendes, cum quamvis longo spatio separemur adsimus spiritu praesentes. Omnibus Nostro nomine auctoritateque Benedictionem Apostolicam impertias cupimus, quae, benigna intercedente Beata Virgine Maria, sit animorum renovationis signum et futuro de tempore supernarum gratiarum documentum.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Octobris, anno MMXII Pontificatus Nostri octavo.

BENEDICTUS PP. XVI

[01348-07.01] [Testo originale: Latino]
